THESES
THEOLOGICO-HISTORICÆ
DE ANTIQUIS ECCLESIÆ
PERSECUTIONIBUS, FIDE, DISCIPLINA,

Quas ſub Auſpiciis


SANCTISS. D. N. D.
BENEDICTI
PAPÆ XIII.

EX PRÆDICATORUM ORDINE ASSUMPTI

Publico certamini exponit

P. F. THOMAS MARIA GRISELLI EJUSDEM ORD.

In Collegio S. Marci Sacræ Theologiæ Studens.



FLORENTIÆ. MDCCXXV.

Typis Regiæ Celſitudinis. Apud Tartinium, & Franchium. *Superior Facult.*

Digitized by Google

BEATISSIME PATER.

COnvolant in ſinum Tuum, BEATISSIME PATER, ſiſtuntque ſe Tuæ Sanctitatis Solio, purpurata fortiſſimorum Martyrum Agmina, laureati doctiſſimorum Hominum Chori, ſuis denique dealbata lacrymis Pœnitentium Turba : & quod ipſe

BEATISSIME PATER.

COnvolant in ſinum Tuum, BEATISSIME PATER, ſiſtuntque ſe Tuæ Sanctitatis Solio, purpurata fortiſſimorum Martyrum Agmina, laureati doctiſſimorum Hominum Chori, ſuis denique dealbata lacrymis Pœnitentium Turba: & quod ipſe

vix petere auderem, aut ſperare, ſuo Martyres ſanguine, ſuis meritis Patres, ſuis demum gemitibus Pœnitentes implorant. Cogitanti mihi è ſacratiori ſtudiorum meorum penu quidpiam depromere, quò meam erga Pontificiam Majeſtatem Tuam devotionem utcumque teſtarer, ea felicitas contigit, ut munus offerrem, quo nullum pro argumenti excellentiâ expetere poſſem aut Romano Pontifice dignius, aut ad illius promerendum patrocinium magis idoneum, vel ad conciliandam benevolentiam magis accommodatum. Hinc Tibi occurrunt, BEATISSIME PATER, præclara Martyrum tuorum certamina, victoriæ, adoreæ, triumphi, quo nullum fidei Tuæ oculis, aut illuſtrius ſpectaculum, aut jucundius. Martyrum inquam tuorum, quod eorum maximam partem, ejuſmodi Heroum fœcundiſſima parens Eccleſia Romana Tibi cœlitus deſponſata genuerit, & ad coronas, & palmas aluerit, educarit, inſtruxerit. Hos ego pro illorum gloriâ hodierna luce diſputaturus, audire mihi videor, hiſce Te vocibus compellantes: Ita ne Pater illius ſtudia deſpicies, qui licet minus valeat, ſtudio tamen pietatis accenſus audet noſtri nominis adverſarium refellere, qui tertiam e Romano Cœlo auſus eſt ſtellarum partem deiicere, cum Sacris Eccleſiæ Faſtis, ea pro libitu ſuo reformaturus, aut potius devaſtaturus, profanas, ac violentas manus injecit? Regalis Tui Sacerdotii purpura noſtri ſanguinis oſtro imbuta eſt: ignium illorum lumine Aula Tua reſplendet, quo noſtra olim abſumpta ſunt corpora: Tua ſunt arma, quæ noſtra olim fuere Martyria; ut Tuæ pariter gloriæ

mili-

militet, qui noſtram aſſerit, & tuetur. Inde ſe Tibi offert venerabilis Patrum, ac Sacratiſſimus Cœtus, quos temeraria quorumdam audacia violatæ fidei in ejus præcipuo dogmate reos egit. His ſiquidem ſuperciliofis, & iniquis Cenſoribus Juſtinus Martyr, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, aliique Patres, qui primis Eccleſiæ Sæculis Chriſtianam Religionem libris editis ædificarunt, exornarunt, vindicarunt, ubi de Trinitate diſſerunt, nil aliud ſunt, quam vel Sabellianæ Hæreſeos Prodromi, aut Ariani exercitus Metatores. Illatam præclaris adeò Nominibus infamiam depellere mihi in animo eſt, ac circumfuſas ſplendidiſſimis eorum ſcriptis non calamo, vel atramento, ſed totius, ut ita dixerim, ſolis lancea vel radiis exaratis, atrocis calumniæ tenebras diſſipare. Quin meum Sanctitas Tua conatum probatura ſit, nullus dubito, qui videlicet haud ignoro, quanta hactenus reverentia SS. PP. doctrinam proſecuta ſit, quove nunc zelo ardeat, ut eadem ad Eccleſiæ ædificationem firmiores in dies radices agat, & ad fugandas errorum nebulas, puriores nativæ lucis radios, atque uberiores effundat. Quid verò Penitentes? Dolent, BEATISSIME PATER, Romanæ Eccleſiæ, cujus tamquam Piiſſimæ Matris in ſeipſos experti ſunt indulgentiam, notam inuri inhumanæ crudelitatis, quaſi Pœnitentium lacrymas aliquando deſpexerit, ac miſerorum lamentantium gemitus ſurdis auribus præterierit. Eamdem propterea Eccleſiam (Sanctitati Tuæ, ut quidem ſentio, commendabili ſtudio) exhibeo, effuſa ſemper pietate lapſos quoslibet, ac graviſſimorum crimi-

num

num reos ad ubera ſua revocantem, quæ ſuperbo faſtidio reliquerunt. Hæc ſunt diſputationum mearum argumenta, quibus Pontificis animus in his ſtudiis maximè exercitatus, mirificè (ni mea me fallit opinio) capiatur. Sanctitatis ergo Tuæ, BEATISSIME PATER, fretus patrocinio, certamen ineo : & quamquam virium mearum tenuitatis ſatis mihi conſcius, exploratum habeam, mei

Quid ferre recuſent
Quid valeant humeri,

Apoſtolica tamen benedictione munitus, haud dubiam mihi victoriam polliceor.

Digitized by Google

THESES HISTORICE
DE ANTIQUIS ECCLESIÆ PERSECUTIONIBUS.

I. INnumeros Chriſto Martyres, furentibus Gentilium Imperatorum perſecutionibus, Eccleſiam peperiſſe, cùm alii plurimi, tum S. Aug. aureis hiſce verbis teſtatur: [a] *Impleverunt terram crebra martyria.* [b] *Purpurata eſt univerſa terra Sanguine Martyrum, floret Cœlum coronis Martyrum, ornatæ ſunt Eccleſiæ memoriis Martyrum, inſignita ſunt tempora natalibus Martyrum, crebreſcunt ſanitates meritis Martyrum.* Unde mirari ſubit Henrici Dodvvelli temeritatem, qui regali hac purpura exuere terram, tam præclaris coronis Cœlum, tot gemmis Eccleſiam, tot monilibus tempora, tot medicis infirmos, vulgatâ inter Cyprianicas, *de Martyrum paucitate* diſſertatione tentarit.

II. Vulgatis Martyrologiis immerito, quoàd numerum Martyrum, fidem denegat Dodvvellus. Hieronymiano, in quo nullus eſt dies ſine Martyrum turba, auctoritatem conciliat veneranda canities. Huic Gregorii Magni verba in Epiſtola ad Eulogium Alexandrinum egregie conveniunt. Quam celebre fuerit, ac divulgatum Caſſiodori ævò, teſtis eſt ipſe locupletiſſimus Divin. lect. c. 32. Ad Hieronymi ætatem proxime videtur accedere. Martyrologiis originem præbuerunt veteres Faſti, in quibus nobiliores Eccleſiæ Epiſcoporum ſuorum depoſitiones, & natales Martyrum dies deſcriptos habebant. Eorum formam, exhibent Romanum Kalendarium a Bucherio, & Carthaginenſe a Mabillonio vulgata. Singulis erant Eccleſiis peculiaria; & celebriorum dumtaxat apud illas Martyrum nomina continebant.

III. Imperatores, niſi Imperii primordia Chriſtianorum cæde fœdarint, nonniſi in Quinquennalibus, & id genus feſtis, edictis Eccleſiam vexarunt, tum quod nova tunc vota ſolverent, aut nuncuparent, & ea, quæ ad religionem, ſeu potius ad ſuperſtitionem pertinent, ſummo ſtudio curarent; Tum quod ad ſacrificia, quæ per Imperatorum ſalute offerebantur, Chriſtiani minimè convenirent, & a profanis, quæ

[a] *Ser.* 314. *al.* 94. *de diverſis.* [b] *Ser.* 30. *in Pſ.* 118.

tunc frequentiora exhibebantur, ſpectaculis abhorrerent. Denique ut populis gratificarentur, qui Chriſtianos tamquam publicos hoſtes, ſupplicibus libellis, inſtantius ad mortem expetebant, & inſanis in circo clamoribus ad leonem tum maxime conclamabant. Unde Tertul. cap. 35. Apolog. *Propterea publici hoſtes Chriſtiani, quia Imperatoribus, neque vanos, neque temerarios honores dicant.*

IV. Non minuitur Martyrum numerus, propterea, quod aliquæ perſecutiones non fuerint novis Imperatorum edictis, ſed vel Præſidum ſævitia, vel popularium furore excitatæ. Certum eſt enim, populares hujuſmodi perſecutiones ad cædes uſque, & ſanguinem deſæviſſe. Cujus rei teſtem habemus loclupetiſſimum Tertullianum cap. 37. Apolog. *Quoties*, inquit Præſides Provinciarum alloquens, *in Chriſtianos deſævitis partim animis propriis, partim legibus obſequentes, partim etiam, præteritis vobis, ſuo jure nos inimicum vulgus invadit lapidibus, & incendiis.*

V. Primus, ut ſcribit Tertul. [a] adverſus Eccleſiam Cæſariano gladio ferociit Nero, Anno communis Æræ LXVI. quo dilata anno uno Imperii Auguſtei Decennalia dedit. Plurimos non ſolum Romæ, ſed per omnes etiam Romani orbis Provincias, ea perſecutio Martyres coronavit. Cum, ut ſcribit Tacitus, [b] *haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis* ad excidendam religionem, ſive ut Suetonius loquitur, [c] *genus hominum ſuperſtitionis novæ, ac maleficæ*, truculentus tyrannus proſilierit. Secundò hujuſce perſecutionis anno, Neronis 12. Coſſ. A. Licinio Nerva Siliano, & M. Veſtino Attico, ut habet Liberio, ſeu Damaſo inſcriptum, vetus Pontificale, Apoſtolorum Principes Eccleſiam Romanam, quam doctrina lactaverunt, ſanguine conſecrarunt. [d] *Felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, Ubi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur.* Felix Eccleſia, quæ [e] *Apoſtolorum tropæa potes oſtendere. Nam ſive ad Vaticanum, ſive ad Oſtienſem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui te* nullis concutienda inferorum incurſibus *fundaverunt*. His tibi, Piiſſima Mater, de tam præclaris coronis, Tertulliani, & Caii verbis libuit gratulari.

VI. Proximus poſt Neronem Domitianus, ejuſdem *portio Neronis de crudelitate*, Eccleſiam dira perſecutione vexavit. Neque adeo anguſtis, ut vult Dodvvellus, hæc ſecunda perſecutio limitibus continetur. Anno illius Imperii decimo tertio decreta, decimo quinto ad exitum properante, revocata eſt. Nec ſanguine, nec cædibus abſtinuiſſe; ſuadet inſita tyranno crudelitas, & impotens furor, quo ſe non tantum Neronianæ adverſus Chriſtianos impietatis, quod ait Euſebius [f], ſucceſſorem; Sed Herodianæ etiam adverſus Chriſti Regnum inſaniæ, ut auctor eſt Hegeſippus [g], æmulum profeſſus eſt. Suadet & lata in Joannem Evangeliſtam ſententia, ob quam, ut refert Tertul. [h] *in oleum igneum demerſus*, atroci adeò mortis genere occubuiſſet, niſi eum Divina opes ſervaſſet illæſum.

VII. Poſt. Neronis, ac Domitiani perſecutionem, *ſub Trajano particularem quamdam per ſingulos civitates populari motu adverſus noſtros excitatas eſſe* per-

a *Apolog. c.* 5 b *Tacitus lib.* 15. *Annal* c *Suetonius lib.* 6 d *l. de præſc. Hæretic. c.* 36. e *Cajus apud. Euſeb. l.* 2. *Hiſt. c.* 25. f *l.* 3. *Hiſt c.* 17. g *apud Euſeb. l.* 3. *c.* 20. h *l. de præſc. c.* 36.

perſecutiones, Euſebius memoriæ prodidit[a]. Plinius ſecundus in Bythinia, Arrius Antoninus in Aſia Proconſulari Chriſtianos inſtanter perſequebantur; Sed ille periclitantium multitudine, hic ſe ſe offerentium numero perturbatus, compeſcendum eſſe aliquantulum latè graſsantis perſecutionis incendium exiſtimarunt. Exſtant adhuc anno CXII. conſignandæ Plinii ad Trajanum *de numero eorum, qui fidei cauſa obtruncabantur*, & Trajani ad Plinium Epiſtolæ, quibus Chriſtianos inquiri vetat, delatos puniri jubet. Qua lege violentus turbo aliqua ex parte detumuit, ſed non adeo optata tranquillitas reſtituta, quin *plurimi ex fidelibus multiplicis martyrii certamen ſubirent*; Hos inter Ignatius enituit, cujus martyrium ſerius conſignandum, quam vulgata ipſius acta peribeant. Non enim ante A. CXII. Trajanus in Orientem, bellum Parthis illaturus, tranſmiſit.

VIII. Sub Hadriano, vel nova indicta perſecutio, vel præcedens novis viribus aucta, ob intentata tunc primum Chriſtianis, Atheiſmi, nuptiarum Thyeſtæarum, & Infanticidii execranda facinora, Carpocratianis, & obſcæniſſimis Gnoſticis amplam calumniandi, & obtrectandi materiam ſubminiſtrantibus. Cum popularis furor in theatris, & publicis ſpectaculis, *Chriſtianos ad leones*, paſſim proclamaret, Serenus Granius Aſiæ, ut videtur, Proconſul, literis ad Imperatorem datis, iniquum eſse ſignificavit, tumultuoſis vulgi clamoribus innocentium hominum ſanguinem concedi; ſed & oblatæ in ejus Decennalibus, ad detergendas Chriſtiano nomini adſperſas nefandorum criminum labes, ab Ariſtide Philoſopho Athenienſi eloquentiſſimo, & Quadrato Apoſtolorum diſcipulo, Cæſari Apologiæ, ſævæ tempeſtatis impetum retuderunt.

IX. Quo fuerint loco, regnante Antonino Pio, Chriſtianorum res, declarat ad eundem Imperatorem data a Juſtino M. prior (quæ tamen in vulgatis editionibus poſterior eſt) pro Chriſtianis Apologia: *Propter Confeſſionem*, inquit, *torquetis; cauſa non judicata, ſupplicia infertis. Ad inquiſitionem veſtram Chriſtianos nos eſſe profitemur, cum quidem mortis ſupplicium Profeſſis propoſitum ſciamus*. Quo laudata Apologia ſcripta fuerit anno, diſputant viri eruditi; ad Æræ Chriſtianæ 147. ob exhibita ab Antonino eo anno Imperii Proconſularis Decennalia, referendam puto. Illud conſtat, antiquiorem eſse Dialogo cum Tryphone, ubi iterum queritur S. Martyr, quod *in toto Mundo nemini Chriſtianorum vivere permitteretur*. Melito, Sardenſis Epiſcopus in libello, quem Marco Aurelio nuncupavit, memorat Epiſtolas, quas Antoninus *Scripſit ad Civitates, ne contra nos tumultus concitarent; nominatim ad Lariſſæos, ad Theſſalonicenſes, ad Athenienſes, ad univerſos denique Græcos*. Quæ ſatis indicant, hujus perſecutionis incendium longè lateque fuiſse propagatum.

X. Eccleſia, quæ ob Antonini reſcripta paullulum reſpiraverat, ſæviore ſub M. Aurelio procella agitata eſt. Plura exſtant, quæ perſecutionis per ea tempora, nunc Cæſareis edictis, nunc Popularium incurſione ſepius excitatæ acerbitatem demonſtrant, illius Ævi monumenta.

Secundam Juſtini M. Apologiam, quæ in editis prior eſt, quam alii ad Antonini tempora retrahunt, alii ad A. 170. differunt, nos in Annum

num

a *l. 3. Hiſt. c. 32.*

num. 163. coniicimus, quo M. Aurelius quinta Imperii Cæſarei Quinquennalia dedit. Non *in Urbe* tantum, ſed *ubique locorum*, ut ibi Juſtinus conqueritur, fervebat eo tempore perſecutio.

Anno 165. Juſtinus, Creſcentis Philoſophi Cynici, quem de religione, ac vera Philoſophia diſputans publicè ſuperaverat, inſidiis appetitus, glorioſus Martyr occubuit.

A. 166. Non ut alii volunt, 168. aut 177. apud Imperatores M. Aurelium, & Lucium Verum Legationem pro Chriſtianis obiit Athenagoras Athenienſis Philoſophus diſertiſſimus; ut calumnias Chriſtianorum innocentiæ intentatas, dato, quem conſcripſerat, elegantiſſimo Apologetico propulſaret, & incubantem in eorum perniciem Præſidum ſævitiam averteret.

A. 167. Perſecutio, ob dilata in hunc annum Lucii Veri Quinquennalia, novis aucta Imperatorum edictis, quorum Melito Sardenſis meminit in Libello, cujus nobis fragmentum Euſebius Lib. 4. cap. 26. ſervavit.

A. 169. Die magni Sabbati, hoc eſt, Sabbato, quod Paſchalem celebritatem proxime antecedit, Polycarpus vivus comburitur, de cujus martyrio exſtat Eccleſiæ Smyrnenſis ad Philomelienſes Epiſtola, quæ Aſianorum in Chriſtianos odium ſatis ſuperque teſtatur.

In eumdem Annum, quo Proconſularis Imperii quinta Quinquennalia M. Aurelius celebravit, conferimus Melitonis Apologiam, cujus fructus extitit Aurelii reſcriptum *ad Commune Aſiæ*, quod habet Euſebius lib. 4. cap. 13. & male Antonino tribuit: & pax S. Polycarpi martyrium ſubſecuta, de qua mentio in laudata ſuperius Eccleſiæ Smyrn. Epiſtola.

A. 174. Poſt Germanicam ſitim Chriſtianorum precibus mirabiliter depulſam, aliæ M. Aurelii in favorem Chriſtianæ Religionis Epiſtolæ, ad quas Tertullianus provocat cap. 5. Apologetici. Quæ modo de hac re ſub ejuſdem Imperatoris nomine circumfertur, omnino ſuppoſititia.

Ex Imperialibus ejuſmodi edictis nulla fere in benemerentes fluxit utilitas. Anno etiam 177. iuxta Euſebium in procem. lib. 5. in plurimis terrarum partibus violentior *ex incurſione popularium* in Eccleſiam turbo deſæviit, quo *innumerabiles propè Martyres per univerſum Orbem* ſublati ſunt. Lugdunenſium Martyrum triumphus celeberrima Lugdunenſis, ac Viennenſis Eccleſiæ Epiſtola celebratur.

XI. Severi perſecutio diuturna fuit, generalis, ſanguinolenta. A. 202. Imperii ſui 10. Severus Alexandriam ingreſſus, perſecutionis adverſus Eccleſiam claſſicum cecinit. Anno illius Imperii 15. cum ſcriberet adverſus Marcionem Tertullianus, furebat adhuc ſæva tempeſtas, ac niſi extincto pridie nonas Februarii anni 211. Imperatore, detumuit. Generalem fuiſſe teſtis eſt Euſebius lib. 6. Hiſtor. cap. 1. *Cum Severus perſecutionem adverſus Eccleſias excitaſſet, per omnes ubique locorum Eccleſias ab Athletis pro pietate certantibus illuſtria ſunt confecta martyria.* Sanguinolentam denique fuiſſe, cum alia plurima, tum illud abunde teſtatur, quod propter frequentia Chriſtianorum vivicomburia, *Semaxii* vulgo dicerentur, & *Sarmentitii*; quod, ut ait Tertullianus c. 50. apologetici, *ad ſtipitem dimidii axis revincti, ſarmentorum ambitu exurerentur.*

XII.

XII. Maximini perſecutio, ex Imperatoris quidem edicto, ad ſolos Clericos pertinebat. Verum quibuſdam in locis, ob ingruentes tunc temporis calamitates, quas Gentiles Chriſtianis imputabant, ſine ullo delectu, trucidabantur, ut Chriſtianorum ſanguine ira Deorum extingueretur. Localis fuit; at non adeo anguſtis limitibus circumſcripta, ut præter Italiam; Pontum quoque, & Cappadociam, Thraciam, & Illyricum non invaderet. Brevis denique, quia nec diuturnus Tyranni Principatus; at non intra unius Menſis anguſtias coarctanda. Imperii primordia Alexandri Familiarium, quos inter plures Chriſtiani, cæde fœdavit; nec perſequendi prius finem fecit, quam, triennio exacto, regnandi. Ceterum quam fuerit illa gravis, & atrox, ex inſita Tyranno crudelitate, ob quam *illum*, teſte Capitolino, *alii Cyclopem, alii Buſiridem, alii Scironem, nonnullis Phalarim, multi Tryphonem, vel Gygem vocabant*, poſſumus exiſtimare.

XIII. Sub Gordiano, ac duobus Philippis pax per univerſam floruit Eccleſiam. Philipporum alterum, ideſt, ſeniorem, Chriſtianæ Religioni nomen dediſſe, tradit Euſebius [a], cui S. Joannes Chryſoſt. conſentit in Orat. de babyla Martyre, à quo Philippum, cum Antiochiæ verſaretur, publicæ addictum fuiſſe pœnitentiæ, refert. Sublatis Philippis, *benigniſſimi erga nos Imperii mutatio facta eſt.* Decius ad Imperium evectus, furere protinus contra Deum cœpit, & ubique propoſitis feralibus edictis, bellum Religioni intulit acerbiſſimum. Africanorum Martyrum triumphos Cyprianus, Ægyptiorum verò Dionyſius Alex. ſuis Epiſtolis celebrarunt. Sed gaudium de Martyrum victoriis conceptum, luctus ob frequentes aliorum lapſus temperavit. Primo perſecutionis impetu plurimi, quorum animos longa pax enervaverat, proſtrati ſunt. Origenem fruſtra diriſſimis tormentis Carnifices exagitarunt: verùm cum ad illius corpori ſtuprum inferendum Ætiopem comparaſſent, ejus eſt illico labefactata conſtantia, impoſitumque ejus manibus thus, ipſo minime reluctante, in ſubjectum aræ focum Gentiles excuſserunt, uti S. Epiphanius refert Hæreſi 64.

XIV. Cum Decii locum Gallus, ac Voluſianus occupaſſent, funeſtaque lues Romanum Orbem invaſiſſet, publicis Sacrificiis adverſa Numina placari ſanxerunt Imperatores. Cumque APOLLINI SALUTARI ubique altaria fumarent, Chriſtianis, pro ſalute Reipublicæ profana ſacrificia celebrare recuſantibus, dira calamitas incubuit. Cornelius Rom. Pontifex Centumcellas deportatus occubuit, Lucius, qui in ejus locum fuerat ſubrogatus, in exilium pulſus eſt, & Cyprianus Popularium furore ad Leones iterum poſtulatus in Circo.

XV. Prima Valeriani tempora Eccleſiæ fuere omnino tranquilla; ſed Macriani Magorum Ægyptiorum Archiſynagogi malis artibus depravatus, infenſiſſimum ſe Chriſtianis Perſecutorem exhibuit. A. 257. quo Valerianus Imperii Auguſtei, Gallienus Cæſarei Quinquennalia dederunt, fax iterum perſecutionis vaſtandæ Religioni Subjecta. Ejus acerbitatem deſcribit S. Cyprianus Epiſtola 26. al 77. data hoc anno ad Fratres in Metallis conſtitutos. Et Epiſt. 80. quam ſequenti anno conſcripſit, cùm novo edicto ardentius perſecutio flagaretur; qua & ipſe ſublatus eſt Cyprianus, poſt Martyrum choros Cœlo præmiſſos, quos ſuis Epiſtolis ad ſubeunda certamina, erexerat, animaverat. Exſtant

a *l.* 6. *Hiſt c.* 34.

etiam

etiam apud Euſebium Lib. 7. cap. 10. & 11. ad eamdem perſecutionem pertinentes Dionyſii Alex. Epiſtolæ ad Hermammonem, & contra Germanum, in quarum priore aſſerit illud Apocalypſeos 13. *& data eſt illi poteſtas, & menſes quadraginta duos*, in Valeriano adimpletum fuiſſe. Tot enim Menſes in Ægypto graſſata eſt, quam ipſe excitaverat, perſecutio; prohibente Æmiliani tyrannide, ne Alexandrini pace fruerentur, quam, poſt Valerianum à Perſis captum, Gallienus Eccleſiæ reſtituerat.

XVI. De Aureliano hæc habet Auctor Libri de mortibus Perſecutorum cap. 6. *Aurelianus..... quamvis captivitatem Valeriani meminiſſet, tamen oblitus ſceleris ejus, & pœnæ, iram dei crudelibus factis laceſſivit. Verum illi ne perficere quidem quæ cogitaverat, licuit; ſed protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt. Nondum ad Provincias ulteriores cruenta ejus ſcripta pervenerant, & jam Cænofrurio, qui locus eſt Thraciæ, cruentus ipſe humi jacebat.* Quibus verbis aperte teſtatur, emiſſa jam fuiſſe decreta, cum in Aureliani temeritatem ultio divina animadvertit. Nec dubium, quin plures potuerint Martyres coronari; Præfectis Provinciarum, Idolorum Sacerdotibus, & Gentili Plebe, feralia decreta avidius excipientibus, & ea executioni mandare feſtinantibus, denique pro libitu ſuo in Chriſtianos ſævientibus, antequam, interiecto ſex menſium Interregno, novus Imperator Reipublicæ præficeretur.

XVII. Anno 284. Coſſ. M. Aurelio Carino Auguſto II. & M. Aurelio Numeriano Aug. ut habet Chronicon Alexandrinum, *Diocletianus Imperator XV. Kal. Octob. Chalcedone renunciatus, V. Kal. Octob. Nicomediam purpuratus intravit, & Kal. Januarii Conſul prodiit.* Ab hoc anno Æra Martyrum, ab Alexandrinis etiam num uſurpata, profiſciſcitur: etſi prioribus Imperii ſui annis nullam Chriſtianis moleſtiam creaverit, ſed eos potius, præ ceteris Reipublicæ Miniſtris, præcipuo quodam fuerit amore complexus.

A. 297. Cum Diocletianus de perſica expeditione ſollicitus, in extis victimarum belli exitum quæreret, quidam, qui ibi aderant Chriſtianorum, immortale ſignum frontibus imprimentes, ſacra diſturbant: Hinc furor Principis in Chriſtianos. Milites ad Sacrificia cogi jubet, ni pareant, militia ſolvi.. Hactenus præſenti anno feritas ejus, & ira proceſſit.

A. verò 299. Veturius Magiſter militiæ, conſtitutos Imperatoris edicto terminos prætergreſſus, nec cæde militum, nec Sanguine temperavit, qui nefaria profanorum Numinum Sacrificia detrectaſſent.

A. 301. Cum Chriſtianorum cervicibus, qui ab avita pietate plurimum deſciverant, impendentem ſupremi Numinis iram placari oporteret, Clericorum ſimultates, de quibus Euſebius Lib. 8. cap. 1. in apertum ſchiſma, Auctore Meletio, eruperunt. Hujus enim ſchiſmatis originem in annum 306. differri, vetat S. Athanaſii Epiſt. Encyclica ad Epiſcopos.

A. 302. De perſecutione Chriſtianis inferenda, ac Chriſti Religione delenda Nicomedæ conſilium habitum eſt., ac Diocletianum diu reluctantem in ſuam tandem ſententiam Galerius Maximianus Cæſar inclinavit.

A. 303. Coſſ. Diocletiano VIII. & Maximiano Herculio VII. quo ille Auguſtei, hic. Cæſarei Imperii Vicennalia celebrarunt, cum dies Terminalium, quaſi ad imponendum Religioni terminum delectus, illuxiſ-

ſet,

ſet, prima Nicomediæ in Chriſtianos irruptio facta eſt. Scripturæ igni abſumptæ, Sacra ſupellex direpta, eccleſia ſolo coæquata. Poſtridie, hoc eſt, 24. Februarii decretum ibidem propoſitum, de Eccleſiis ubique diruendis, Sacris Codicibus incendendis, Honoratis, qui in fidei confeſſione perſeveraſſent, infamia notandis, ac Libertis libertate ſpoliandis. Sub idem tempus, ob incendium Palatii Noſtris intentatum, atroci in Nicomedienſes Chriſtianos cæde ſævitum eſt. Hæc prima cruentiſſimæ pugnæ velitatio. Aliæ deinde literæ emiſſæ, ut omnes ubique Eccleſiarum Antiſtites vincti in carcerem truderentur; quas tertium edictum ſubſecutum eſt, ut iidem, ad ejurandam fidem, tormentis adhibitis compellerentur.

A. 304. Perſecutionis 2. quartum edictum promulgatum eſt, quo non in ſolos, ut antea, Clericos, ſed in omnes ubique locorum, ac Gentium Chriſtianæ Religionis cultores graſſatum eſt. *Vexabatur ergo* (ait Auctor Libri de mortibus Perſecut.) *univerſa terra, & præter Gallias, ab Oriente uſque ad Occaſum tres acerbiſſimæ Beſtiæ* (Diocletianus, & duo Maximiani, Herculius, & Galerius) *Sæviebant*. Verumtamen, & Gallias primos belli impetus ſuſtinuiſſe, Conſtantio contra Barbaros occupato, haud obſcure innuit Euſebius in fine Libri de Martyribus Palæſtinæ.

A. 305. Perſecutionis 3. Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani Imperium abdicarunt. Maximinus, qua ſe Diocletianus exuerat, purpura indutus, ac Cæſar renunciatus, in Eccleſiæ perniciem vehementiùs incubuit. Concilii Cirtenſis Epocha, de quo S. Auguſtinus in Brevic. Collat diei 3. cap. 17. præſenti anno conſignanda.

A. 306. Perſecutionis 4. Conſtantio Auguſto defuncto, Conſtantinus M. in ejus locum ſucceſſit. Maxentius Romæ Imperator factus, pacem Eccleſiis Italiæ reſtituit.

A. 307. Perſecutionis 5. Alexander Tyrannus in Africa purpuram induit, & Africanas Eccleſias ab immani, qua premebantur, vexatione reſpirare non ſinit.

A. 308. Cum perſecutionis incendium, cujus jam ſextus decurrebat annus, imminui, ac ſacro Martyrum cruore reſtingui jam cœpiſſet, novis Maximini edictis in Oriente recruduit.

A. 309. Septimo jam perſecutionis anno ad exitum vergente, quod vel jam Martyrum virtute repreſſus fuerit Perſequentium furor, aut cæde exſaturatus, Chriſti Confeſſoribus tot jam malis attritis, tenuiſſimus quidam radius optatæ quietis, ac tranquillitatis effulſit.

A. 310. Perſecutionis 8. tanta ex Præſidum indulgentia Chriſtianis ad Metalla damnatis acceſſit fiducia, ut non ſolum quæ noſtræ Religionis ſunt, palam exſequerentur, ſed etiam ad novas, pro veteribus jam everſis, Eccleſias excitandas animum appellerent; quæ inſtauratæ in eos hoc eodem anno perſecutionis occaſio fuit.

A. 311. Perſecutionis 9. Galerius Maximianus, vexationis, quæ tot annos Chriſtianos exercuit, ſignifer, & Incentor, inſanabili morbo percuſsus, ac repetitis plagis attritus, Deum tandem coactus eſt confiteri, ad cujus iram placandam, pacem Chriſtianis imperiali edicto reſtituit; ſed eà, ne ſex quidem menſibus elapſis, per Maximinum diſturbatà, Petrus Alex. Martyr occubuit; Maxentius vero, profligato Alexandro, Eccleſias Africæ libertate donavit.

Digitized by Google

A. 312. Perſecutionis 10. Conſtantinus M. adverſus Maxentium dimicaturus, quod ſibi cœlitus fuerat demoſtratum, ſignum extollit ſalutare; de Tyranno triumphat, & abdicata ſuperſtitione, Chriſtianam Religionem, a qua deinceps nunquam defecit, amplectitur. Pontificis Max. titulum, quem nulli deinceps Chriſtianorum Imperatorum uſurparunt, deponit; ac literis cum Collega Licinio ſemel, & iterum ad Maximinum datis, perſecutionis incendium, quo integro decennio Chriſtianus Oriens conflagraverat, ſequenti anno omninò reſtinxit.

XVIII. Eccleſiæ pacem Donatiſtæ in Africa, anno jam 311. conflato ſchiſmate: Arrius circa Annum 314. nefariæ hæreſeos jactis ſeminibus; Licinius anno 319. illata Chriſtianæ Religioni, quam vel profeſſus fuerat, vel hactenus ſimulaverat, atroci perſecutione, turbarunt; ſed Donatiſtarum furorem ſynodi in Occidente celebratæ repreſſerunt; Arrianæ perfidiæ Nicæna ſynodus anno 325. congregata frænos injecit. Licinianæ perſecutioni Conſtantinianæ de Tyranno victoriæ terminum impoſuerunt.

XIX. Fortitudo Martyrum inviĉtiſſimum gratiæ, non ejus, quam in Paradiſo habuit Adam, qua illi donatum eſt poſſe perſeverare ſi vellet; ſed ſeipſa efficacis, qua etiam homini donatur, ut velit, argumentum eſt. *Major quippe libertas*, ait Div. Auguſtinus lib. de Cor. & Gratia cap. 12. *eſt neceſſaria adverſus tot, & tantas tentationes, quæ in Paradiſo non fuerunt, dono perſeverantiæ munita, atque firmata; ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus. HOC SANCTORUM MARTYRIA DOCUERUNT. Denique ille, & terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium libero uſus arbitrio, non ſtetit in tanta felicitate... ISTI autem, non dico terrente mundo, ſed ſæviente ne ſtarent, ſteterunt in fide..... Unde hoc, niſi donante illo, a quo acceperunt, ſpiritum non timoris, quo perſequentibus cederent; ſed virtutis, & caritatis, & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia ſuperarent.*

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, o Chriſti Valeriane ſacer.
Inciſos tumulis titulos, & ſingula quæris
Nomina? Difficile eſt, ut replicare queam.
Tantos juſtorum populos furor impius hauſit
Cum coleret patrios Troja Roma Deos.
Plurima litterulis ſignata ſepulchra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & multa tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.
Quanta virûm jaceant congeſtis corpora acervis
Noſſe licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic, defoſſas mole ſub una,
Relliquias, memini me didiciſſe hominum:
Quorum ſolus habet comperta vocabula Chriſtus,
Utpote quos propriæ junxit amicitiæ.

Prudentius lib περὶ στεφάνων. Hymn. XI.

Digitized by Google

THESES THEOLOGICO-HISTORICÆ

DE ANTIQUA ECCLESIÆ FIDE CIRCA MYSTERIUM SS. TRINITATIS.

VIX e ſcopuloſis locis enavigaverat, & inter cavas ſpumeis fluctibus cautes, tot procellis exagitata, Petri cymba ad portum appulerat atque in littore poſiti, lætantium more nautarum, veræ fidei Cultores, celeuma cantabant. Vix inſana Gentilium rabies, Sanctorum ebria Sanguine, funeſta adverſus Chriſtianos arma poſuerat; partaque tot Martyrum certaminibus victoria fruebatur Eccleſia; cum nova in eam tempeſtas detonuit; atrocioriſque belli ſigno dato, ad arma iterum proſilire neceſſe fuit.

I. Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam eſſe divinitatem, majeſtatem, atque potentiam, non ſolum docuerunt, qui poſt Nicænum Concilium Catholicæ fuerunt Religionis Athletæ; ſed & Ante-nicæni Patres Clemens Romanus, Ignatius, Hermas, Juſtinus M., Ariſtides, Polycarpus, Miltiades, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Melito Sardenſis, Tatianus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cajus, Gregorius Thaumaturgus, Theognoſtus, Dionyſius uterque, Rom. & Alex., Novatianus, Cyprianus, Patres Antiocheni in duplici Synodo contra Paulum Samoſatenum, Pierius, Methodius, Minucius Felix, Arnobius, atque Lactantius, *tota* denique, ut ait [a] Hieronymus, *veterum ſcriptorum ſeries, qui adverſus Hebionem, Theodotum Byzantinum*, alioſque Hæreticos, ac Gentiles *plena ſapientiæ volumina* conſcripſerunt. Idemque fidei noſtræ caput, quotquot graſſantibus Eccleſiæ perſecutionibus paſſi ſunt Martyres, fuſo ſanguine conſignarunt. Verum temerarii quidam Sophiſtæ, ſub initium ſæculi quarti reddita Eccleſiæ pace, è Philoſophicis Caſtris prodeuntes, omnia ſus deque miſcuerunt, ut avitæ Patrum doctrinæ, & ſacroſanctis fidei myſteriis Philoſophorum, & maximè Platonicorum dogmata ſubſtituerent.

II. Platonis quidem animam Claudianus Mamertus miratur lib. 2. de ſtatu Animæ, *qui tantis quidem ſæculis ante puerperium Virginis, ante Incarnationem Dei, ante hominis reſurrectionem, ante prædicatam ſummæ Trinitatis in* Gen-

a *Hieronym. adv. Helvid.*

Gentibus ineffabilem unitatem, tres in divinitate Perſonas, laudabili auſu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio quæſivit, invenit, prodidit, Patrem Deum, paternamque Mentem, Artem, ſive Conſilium, & utriuſq. horum Amorem mutuum, unam, ſummam, æquiternam, indiviſam divinitatem, non ſolùm ita credi oportere docuit, ſed ita eſſe convicit. Mirandum profectò, ſi quam Plato ſuis libris inſperſit hujuſce myſterii doctrinam, ſuopte expiſcatus eſſet ingenio; ac non ex Sacris literis, ante Alexandri M. in Perſas expeditionem jam græcè converſis, hauſtam, ſuis, quemadmodum & alia divinæ Scripturæ myſteria, commentis turpiter deformaſſet.

III. Mirari non minus deceret Orphei, quam Platonis animam, ſi Poetarum ille fabulis celebratus Orpheus horum carminum eſſet auctor, quæ apud Juſtinum leguntur in Cohort. ad Græc.

Solis canto piis: omnes procul eſte profani.
Tu Muſæe audi, Luna prognate ſilenti.
Reſpectans VERBUM DIVINUM, huic totus inhære.
Pectoris hoc mentem ſacri, greſſuſq. guberna,
Incedens rectà, REGEMQUE HUNC ORBIS ADORA.

Sed Orphicorum carminum Auctor, ſub aſcititio nomine deliteſcens, Viris etiam doctis impoſuit, ut recentioris ævi figmentum, quod ſub ipſa Chriſtianæ Religionis exordia lucem adſpexit, vetuſtiſſimo Poetarum, ut eum vocat Lactantius, lib. 1. cap. 5. aſſererent.

IV. In eodem cenſu habendus eſt Mercurii Triſmegiſti Pimander. Eſt enim opus, ut inter eruditos convenit, hominis Chriſtiana Religione initiati, qui merces ſuas, ex Platonicorum Libris maxima ex parte congeſtas, atque hæreticis fabulis inquinatas, ſub alieno voluit, & quidem *Ter-maximo* nomine, venditare.

V. Errorum ferè omnium, qui prioribus ſæculis Eccleſiæ doctrinam adulterarunt, cauſſa, & origo fuit Platonica Philoſophia, qua nullam exiſtimamus ſeducendis animis magis idoneam. Fallit enim ſimilitudine; ac dum tibi ſublimiora fidei noſtræ myſteria exhibet, quaſi humanis circumornata rationibus, inani te ludit veritatis imagine; & à fide tum maximè abducit, cum ad eam viam ſternere, atque aditum communire videtur.

VI. *Dolemus* itaque cum Tertulliano [a] *Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum*, Nicolaitarum, Gnoſticorum, Manichæorum, Valentinianorum, Marcioniſtarum, Hermogenianorum, & aliorum, in quos hujuſmodi ſectæ venenum ſuum effuderunt, ac noxiis afflatibus contaminarunt; præcipuè verò Arrianorum, quorum de Trinitate ſententias, & errores Plotinus, Numenius, Proclus, atque Porphyrius apud S. Cyrillum Alex. lib. 8. contra Julianum, dudum ex Platonis libris expreſſerant; ut non ea tantùm de cauſa Arrianos, Porphyrianos appellari juſſerit Conſtantinus M. qud Porphyrius Chriſtianæ Religionis hoſtis fuerit acerrimus; ſed quod errorem etiam ab illis excitatum, ac magnis animis defenſum Porphyrius cum aliis Platonicis præformaverit. Quod & Angelicus Doctor in antiquorum Philoſophorum lectione exercitatiſſimus, obſervavit lib. 4. contra Gentes cap. 6.

VII. Ex eadem Platonis Academia onuſtam blaſphemiis navem in Eccleſiam Origenes invexit, cujus anima, ut verbis utar Tertulliani, *Acca-*

a *l. de Anima c. 23.*

Academiis, & Porticibus Atticis paſta ſapientiam ructat [a], at non abſconditam in myſterio, quam non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis Apoſtolus prædicavit, ſed Principum hujus ſæculi; quas enim adverſus Trinitatem blaſphemias evomuit, Platonis Diſcipuli, & aliqui etiam in Ammonii ſchola fortaſſe Condiſcipuli illius auribus inſuſurrarunt. Sed & quæ de præexiſtentia animarum, de ipſarum ex præexiſtentibus meritis prædeſtinatione, ac de reſurrectione diſseruit: quidquid adverſus præmiorum, ac pœnarum æternitatem effutivit, ex iiſdem hauſit cœnoſis Platonicæ Philoſophiæ lacunis.

VIII. Eadem Platonica Philoſophia, cui aliqui ex Patribus fuerant innutriti, fraudi illis fuit, eaque macula eorum libros adſperſit, ut non ſobriis omninò, limatiſque verbis, cum illis de Trinitate ſermo eſt, ſenſus exponerent ſuos; noſque ea moleſtia affecerunt, quam in eorum ſententiis ad catholicum ſenſum, quem certè in animo habuerunt, reducendis, experimur.

IX. Reprehendere quidem videntur antiqui Patres, Baſilius, Gregorius Nyſsenus, Cyrillus Alex. Ambroſius, & alii, in Arrianis, & in Aetio præſertim, atque Eunomio, Peripateticæ ſtudium Philoſophiæ. Per eos Nazianzenus, *in Eccleſiam irrepſiſſe* dolet Orat. 26. *captiones ſophiſticas, ac pravum artificium Ariſtoteleæ artis, & hujus generis alia, velut Ægyptiacas quaſdam plagas*. At, quæ culpa Ariſtotelis, ſi quæ ille tuendæ veritati arma ſuppeditavit, ad eandem oppugnandam Hæretici converterunt? Si fugienda Ariſtotelis dialectica propter Eunomium, quem Cyrillus Alex. propterea deridet quod *nihil aliud quam Ariſtotelem ructans, iſtis potius diſciplinis quam ſcripturarum ſcientia ſe ſe venditaret*; laudanda ſanè, & ſuſcipienda propter Baſilium, qui in eadem diſciplina, teſte Gregorio Nazianzeno Orat. 20. *Adeo excelluit, ut iis, qui cum eò diſputabant, facilius eſſet, è labyrinthis ſe ſe extricare, quam argumentorum ejus laqueos effugere*.

X. Ut ut ſit, Arrianos, ſive Anomæos propterea Patres minimè reprehendunt, quod Platonicam excoluerint, vel Ariſtotelicam Philoſophiam; ſed quod Platonis placita, præ Piſcatorum Dogmatibus exoſculati ſint, & Ariſtotelis dialectica ſint abuſi, ad evertendam Chriſtianæ Doctrinæ ſimplicitatem.

XI. Eminet inter eos, quos ob affectatum Platonicæ Theologiæ ſtudium, Platonicos potius, aut Porphyrianos dixeris, quam Chriſtianos, Cæſareenſis Euſebius: quem licet aliqui, ob ſubdolas, quibus aliquando uſus eſt voces, & ob adhibitam in gratiam Conſtantini M. Nicænis Canonibus ſubſcriptionem, ab Arriana perfidia vindicandum ſuſceperint, qui tamen vaferrimum hominem intus (ut ajunt) & in cute noverunt, hæreticum fuiſſe pronunciant, & cum Hieronymo [b] *Arrianæ ſigniferum factionis* appellant.

XII. Ob eam tamen, quæ illi cum Panphilo interceſſit, neceſſitudinem, immeritò SS. Martyr à Petavio in eadem, cum homine hæretico, navi collocatur: Non enim eos pravorum dogmatum communio; ſed idem Antiquitatis Eccleſiaſticæ, reconditioris eruditionis, ac divinarum ſcripturarum ſtudium arcto invicem amicitiæ fœdere copulavit.

a *l. de Teſtim. An.c.* 1. b *lib.* 1. *Adv. Ruffin.*

XIII. Potiori jure Luciani Martyris patrocinium ſibi adſciviſſent Arriani, ac ſibi de SS. Martyris nomine derivata *Collucianiſtarum* appellatione plauſiſſent, niſi ante martyrium nefaria Pauli Samoſateni dogmata revocaſſet; & ad Eccleſiæ unitatem, damnato ſchiſmate, poſtliminio reverſus, glorioſo ſanguine, & inclyta confeſſione adhærentem nomini ſuo maculam eluiſſet.

XIV. Lactantii circa Trinitatem errores Hieronymus non diſſimulat: Negatam ab ipſo ait in Epiſtolis ad Demetrianum [a] Spiritus Sancti ſubſtantiam, & Judaicam illi confuſionem exprobrat; Nullibi tamen negatæ Filii divinitatis reum agit, quamvis aliqua durius enunciata in ejus Libris occurrant. Ob Superiorem autem errorem Semi-Sabellianus potius dicendus eſſet, quam Semi-Arrianus.

XV. Conſtantini M. fidem quibuſdam non obſcuri nominis Scriptoribus ſuſpectam reddidit nimia illius in Arrianos facilitas, & propenſio, quorum dolis, ac fraudibus circumventus, Athanaſium variis calumniis appetitum, Treviros relegavit. At piiſſimi Imperatoris Orthodoxiam ab omni ſuſpicione vindicant, cùm Athanaſius ipſe in Epiſtola ad ſolitarios, tum Euſebianorum hypocriſis, qui ut animum Principis demererentur, Catholicam fidem ſimulabant; denique intentatæ ab iiſdem, quoad Conſtantinus vixit, non de religione, ſed de Eccleſiaſtica diſciplina in Athanaſium accuſationes.

XVI. Ex Arriana perfidia in diverſas ſciſſa factiones Semi-Arrianorum ſecta pullulavit, quę in diverſa pariter errorum capita propagata eſt. Alii Filium Dei creaturam eſſe propugnabant, ſed non ceteris ſimilem creaturis. Alii è rerum creatarum numero Filium eximebant, ſed conſubſtantialem dicere detrectabant. Alii denique, ob illatum Spiritus Sancti divinitati bellum Πνευματόμαχοι dicti ſunt, ideſt Spiritus Sancti Oſores, & Adverſarii.

XVII. Non una igitur fuit Semi-Arrianorum omnium cauſa, idemque flagitium. Sed quos, ob ſolam de voce Ὁμοούσιον controverſiam, Semi-Arrianis S. Epiphanius adcenſuit, M. Athanaſius in Libro de Synodis pro cariſſimis Fratribus habuit: Et S. Hilarius in alio ejuſdem tituli Libro *Sanctos ..... ac Studioſos Apoſtolicæ, atque Evangelicæ Doctrinæ viros* appellat: quorum teſtimoniis munita, in tuto eſt Cyrilli Hieroſolymitani, Meletii Antiocheni, Euſebii Samoſatenſis fides, ſanctitas, & innocentia.

XVIII. Etſi Liberius, damnando Athanaſium, & pacem cum Arrianis ineundo, Eccleſiæ Catholicæ cauſam prodiderit; nemo eum tamen in Arrianum dogma conſenſiſſe putet, aut nefariam hæreſim propria ſubſcriptione firmaſſe. Prima enim, cui ſubſcripſit, Sirmienſis Formula adverſus Photinum edita, Catholicum ſenſum admittebat, atque unius fermè vocis ſuppreſſione à Nicæno Symbolo diſcrepabat.

XIX. Gravior ſane fuit Oſii Cordubenſis lapſus; illius, inquam, Oſii, quem tot in eum congeſtis egregiæ laudis titulis, Synodorum Ducis, & Anteſignani, Epiſcoporum Patris, Confeſſoris, ac verè Oſii, ideſt, Sancti, & Abrahamici ſenis, Sanctus Athanaſius coronat. Talis igitur, ac tantus vir, poſt ſexageſimum à Confeſſione annum, poſt innumeras de proſtrata impietate victorias, poſt Formulam Fidei in Nicæna Synodo conceptam, Arrianæ blaſphemiæ in ſecunda Sirmienſi Formula exara-

a *Hieron. Ep. ad Pammachi, & Ocean.*

tæ ſub-

tæ ſuſcripſit. Reſipuit tamen; atque ut idem teſtis eſt Athanaſius [a], *moriturus quaſi in teſtamento ſuo eorum* (ideſt Arrianorum) *vim proteſtatus eſt, & Arrianam Hæreſim condemnavit*.

XX. Sicuti Liberius primæ, & Oſius ſecundæ, ſic tertiæ Formulæ Sirmienſi Ariminenſis Synodi Patres, alii Urſacii, & Valentis fraudibus irretiti, alii Conſtantii Imperatoris minis labefactati, ſubſcripſerunt. Ob eam tamen prævaricationem nulla eſt eis hæreſeos nota inurenda; quod Sirmienſis illa fidei Profeſſio, ſecundum verborum ſuperficiem ſpectata, nihil hæreticum contineret, ſed, ut ait Sulpicius Severus lib. 2. Sacræ Hiſtoriæ, *Chatolicam Diſciplinam perfidia latente loqueretur*. Fraude autem animadverſa, & ſubſcriptionem priſtinam, & omnes Arrianorum blaſphemias condemnarint.

XXI. Marcellum Ancyranum graviſſimi teſtes violatæ fidei reum agunt, & tamquam Pauli Samoſateni diſcipulum, Photini verò magiſtrum, & inſtitutorem averſantur. Editis tamen fidei ſuæ confeſſionibus, quemadmodum Julio Romano Pontifici, OEcumenicæ Synodo Sardicenſi, & Magno Athanasio, ita ſuam nobis adprobat orthodoxiam.

a *Ep. ad Solit.*

THESES THEOLOGICO-HISTORICÆ

DE ANTIQUA ECCLESIÆ IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTI POENITENTIÆ DISCIPLINA.

ECcleſia Romana cum omnibus Orientalibus, & celeberrimis, ac florentiſſimis Occidentis, collatam ſibi a Chriſto Domino remittendorum omnium criminum poteſtatem, in quoſcumque Lapſos, legitima pœnitentia functos, Schiſmaticos, Hæreticos, Adulteros, Homicidas, Idololatras, Libellaticos, Sacrificatos, &c. effudit. Nulli unquam, vel *primæ notæ* Peccatori, ad ejus ſinum revertenti, ſpem pacis, & communicationis eripuit. *Ipſa*, inquit D. Auguſtinus [a], *Catholicæ Eccleſiæ tàm inſignis auctoritas .... quæ omnium Sanctorum Mater toto fœcunda Orbe diffunditur, cui unquam Hæretico, vel Schiſmatico ſpem liberationis, ſi ſe corrigat, amputavit? cui placandi Dei aditum clauſit? non ne omnes ad ubera ſua, quæ ſuperbo faſtidio reliquerunt, cum lacrymis revocat?*

II. Monſtro ſimilis eorum nobis videtur opinio, qui primùm ſub Zephirino pacem Mœchis indultam fuiſſe, arbitrantur. Non defuiſſe quidem ſub laudato Pontifice, *quoſdam de Epiſcopis* in Africana Provincia, *qui dondam pacem Mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt*; ex S. Cypriano habetur Epiſt. 55. al 52. ad Antonianum. Sed eorum duritiam fregit Zephirinus Decreto, quod Tertullianns refert, ac ſugillat lib. de Pudic. cap. 1. *Audio, edictum eſſe propoſitum, & quidem perentorium. Pontifex ſcilicet Max. quod eſt Epiſcopus Epiſcoporum, edicit: Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. Sicut Stephanus Decreto, quod S. Cyprianus proſcindit Epiſt. 74 ad Pompejum, antiquam de Hæreticorum Baptiſmate Eccleſiæ fidem vindicavit; ſic Zephirinus laudato Decreto avitam Eccleſiæ diſciplinam, de recipiendis ad pœnitentiam, & communionem Mœchis, aſſeruit.

III. Non ſolum Mœchis, verùm & Hæreticis, & Homicidis, & Idololatris Eccleſiæ fores olim patuiſſe, tam perſpicuè Tertullianus teſtatur lib. de Pœnit. ut in media luce caligent, qui hanc ibi veritatem non intuentur in omnium ſeſe oculos ingerentem. Pœnitentia, inquit ille, non

a *Expoſit. inch in Ep. ad Rom. n.* 15.

[a] non bonis actibus eſt deputanda, ſed malis: hi [b] in ſpirituales, & corporales tribuuntur. Cujuſcunque generis ſint [c] veniam illis per pœnitentiam promiſit Deus. Pœnitentia duplex eſt [d] prima, quam ſubſequens Baptiſmus obſignat; ſecunda quæ Baptiſmum ſequitur. Ad hanc non minus, quam ad primam omnes hortatur [e], Fornicarios, Stupratores, Mœchos, Hæreticos, Idololatras; bono omnes animo eſſe jubet, ſpem veniæ omnibus facit. Detrectantibus pœnitentiæ onus ſubire (cujus elegantèr actus deſcribit [f] ob delicti verecundiam, Eccleſiam obiicit ut piam Matrem [g] quæ ſuos nolit perire filios. Melius eſſe, palam abſolvi, quam damnatum latere. Fugentibus pœnitentiam ob corporis incommoda, in memoriam revocat gehennam [h], quam ſola exomologeſis extinguat. Hæc laudati Libri œconomia, cujus ſcopus, præſentiſſimæ veniæ pollicitatione calcar omnibus ſubiicere, ad pœnitentiæ itèr capeſſendum, ac decurrendum. Adeo ne verò ſtupidus Tertullianus, aut vecors, qui lapſis omnibus ſine ullo prorſus diſcrimine Eccleſiæ pacem offerret, ſi graviorum criminum reis nullus ad illam patuiſſet aditus?

IV. Tertullianus in lib. de Pudicitia multiplicis mendacii reus eſt. Capite 10. Catholicis imponit, quod nullam in Ethnicos competere pœnitentiam, affirmarent: & quod illi de gravi, ac laborioſa pœnitentia Gentibus non imponenda docebant, ipſe ſuo arbitratu ad omne pœnitentiæ genus diffundit. Capite 22. Catholicis paritèr imponit, quod in Martyres ſuos dimittendorum criminum poteſtatem effunderent: propterea quod in lapſis ad comunionem revocandis faciliores ſe exiberent Epiſcopi, ſi Martyrum libellis muniti eſſent. Mentitur etiam, cum Martyrum deſideria valuiſſe refert apud Catholicos, ad exorandam quidem Fornicariis, & Adulteris veniam, non item Homicidis, & Idololatris. Et his enim *in præteritum ſemper ſub Anteceſſoribus* ſuis, Donato ſcilicet, & Agrippino, cui ſynchronus fuit Tertullianus, Martyrum reſcripta profuiſſe S. Cyprianus indicat Epiſt. 15. al 11. ad Mart. & Conf. Quidni igitur & mentitum fuiſſe credamus, cum in eodem Libro Eccleſiam repræſentat, tam erga Homicidas, & Idololatras duram, atque inexorabilem, quàm erga Adulteros facilem, & indulgentem?

V. Verumtamen ne in totum inanis videatur objectio, ac ne fruſtra omninò Tertullianus queratur; cur Mœchi, excluſis Idololatris, & Homicidis, admitterentur ad pœnitentiam; non defuiſſe arbitramur, qui inæqualem illam erga graviorum criminum reos diſciplinam uſurparent. Africani Epiſcopi, quos S. Cyprianus refert, ſpe veniæ Adulteros, ſubindeque & Homicidas, & Idololatras ſubmoviſſe, quin Zephirini Decreto admoniti, communionem Mœchis refuderint, nulli dubitamus: Nihil verò de priſtina erga Idololatras, & Homicidas ſeveritate remiſiſſe credimus, quod de hac re in laudato Decreto expreſsè cautum non eſſet. Hos igitur precipuè petunt Tertullianeæ diſputationis inſtantiæ. Quamvis, ea ſibi oblata occaſione, vir ille, ut erat, efferveſcentis, atque exundantis ingenii, uno omnes Catholicos præfractæ eloquentiæ turbine involvat: &, quæ paucorum erat ſibi non ſatis cohaerens diſciplina, Hæreticorum, ac Sycophantarum more, Eccleſiis om-

a *c.* 1. & 2. b *c.* 3. c *c.* 4. d *c.* 6. e *c.* 7. & 8. f *c.* 9. g *c.* 10. h *c.* 12 & *ult.*

omnibus, ſine ullo prorſus diſcrimine, confidentiſſimè imponat.

VI. Controverſiæ ſtatum Lapſos inter, & S. Cyprianum malè illi definiunt, qui diſceptatum fuiſſe affirmant: num Lapſis ad pœnitentiam confugere liceret, eaque peracta ad Eccleſiæ pacem adſpirare. Nulla de hac re inter illos mota eſt difficultas. Non ſolum Lapsi, verum etiam S. Cyprianus, & Clerus Romanus, ſupponebant, à communione repellendos non eſſe, qui plenam egiſſent admiſſi ſceleris pœnitentiam. Unde enim miraretur SS. Martyr [a] *quoſdem ſic obſtinatos eſſe, ut dandam non putent Lapſis pœnitentiam, aut Pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam;* niſi ſupponeret, neminem à ſpe pacis, & communionis arcendum? Quid verò Clerus Romanus? An non ſupponit, pacem nemini non eſſe propoſitam, cum ad eam lacrymis, fletibus, gemitibus exorandam, omnes accendit? cum ait, *majoris eſſe* iis qui ceciderunt, *& periculi, & pudoris auxilium pacis non petiiſſe?* Ep. inter Cyprianicas 30. al. 31.

VII. Id igitur in controverſiam vocabatur: [b] num, crudo tempore, perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtitutà Eccléſiæ pace, ad communionem admittendi eſſent, quos Decianæ perſecutionis infeſta tempeſtas proſtraverat. Num, pœnitentia non dum acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo, & Clero impoſita, Euchariſtia illis danda eſſet, qui mortiferos Idolorum cibos adhuc penè ructantes &c. Domini Corpus invaderent. Num, [c] delictorum genera, & qualitates diſſimulare oporteret, eademque facilitate ſuſcipere Sacrificatos cum Libellaticis; illum qui ad Sacrificium nefandum ſtatim voluntate proſilivit, & qui reluctatus, & congreſſus diu, ad hoc funeſtum opus neceſſitate pervenit, &c.

VIII. Martyres, & Confeſſores eo nomine S. Cyprianus [d] minime reprehendit, quod ſupplices libellos, ſeu literas ad ſe direxerint, quibus eorum examinari deſideria, & quibuſdam Lapſis pacem dari poſtularunt, cum perſecutione finita convenire in unum cum Clero, & recolligi datum eſſet. Id enim in præteritum ſemper ſub Anteceſſoribus ſuis factum eſſe, ſemel, iterumque teſtatur. In ejuſmodi libellis concedendis cautos illos, ac ſollicitos eſſe jubet: vult eis tantummodo ſuffragari quorum pœnitentia ſatisfactioni proxima eſſet: nominatim libello deſignari, quibus pacem dari Martyres deſiderarent: fidei, ac diſciplinæ congruentes literas ad ſe dirigi, quæ [e] niſi poſt Martyrum exceſſum vim ſuam non obtinerent: nullum ex eiſdem libellis fructum Lapſos percipere, donec ſedata perſecutione, [f] ac pluribus Epiſcopis convocatis, Beatorum Martyrum literæ, & deſideria fuiſſent examinata. Hæc prima S. Cypriani in Lapſorum cauſa decreta.

IX. At cum videret, facultatem è ſeceſſu ſuo Carthaginem redeundi, nondum eſſe, & æſtatem jam cœpiſse, quod tempus aſſiduis in Africa infirmitatibus, & gravibus infeſtatur [g], à prioris ſententiæ ſeveritate recedendum putavit: ut, qui libellis Martyrum muniti in mortis diſcrimen veniſsent, libellorum effectu fuerentur, & pace, & communione donarentur. Hæc eadem fuerat Cleri Romani ſententia [h], qui tamen in ceteros etiam lapſos, quos lethalis morbus invaſiſset, indulgentiam diffudiſse videtur. S. autem Cyprianus, Lapſos, qui nullo commendati Martyrum libello communionem acci-

a *Ep.* 55. *al* 52. *ad Anton.* b *Cypr. Ep.* 16. *al* 10. c *Ep.* 15. *al.* 11. d *Ep.* 15. *al.* 11. e *Ep* 16. *al* 10. f. *Ep.* 17. *al* 12. g *Ep.* 18 *al* 13 h *Ep. inter Cypr.* 20. *al.* 15.

Digitized by Google

accipiendam feſtinanter urgebant, quoniam non paucorum, nec Eccleſiæ unius, aut unius Provinciæ, ſed totius Orbis hæc cauſsa eſſet, expectare jubet [a] de Domini miſericordia Eccleſiæ ipsius publicam pacem. Irreligioſum eſſe, quoſdam de Lapſis ante Confeſſores extorres factos, ad Eccleſiam redire. Quod ſi nimium properarent, repeterent aciem, ultrò ſe deferrent, ut qui pro Tribunali Chriſtum abnegaverant, eo ipſo in loco ſcelus retractarent, non ſolùm communicationem, & pacem, ſed & Martyrii coronam accepturi.

X. His terminis contineri non potuit Confeſſorum quorumdam audacia, quorum ſignifer, & *Antiſtes* Lucianus Collegarum omnium nomine ad Cyprianum literas fecit, quibus [b], univerſis eos in Martyrum nomine [c] pacem dediſſe, ſignificavit. Reſtitit illius auſibus Sacerdotali vigore S. Præſul. Priori ſententiæ inſtandum [d] decernit; à cujus tamen ſeveritate Caldonio reſcribens [e] eximit Fratres, qui poſt lapſum fuerunt Confeſſores: Hos enim probat, ſine dilatione in ſtatum priſtinum reformari. Datis ad Clerum Romanum literis [f], ſuperiores Luciani vehementer exagitat, & non ſolum florentiſſimum Clerum [g]; ſed & Romanos Confeſſores [h] in ſuam deducit ſententiam. Concilium interim (ob Fabiani Martyrium ſede adhuc vacante) Romæ celebratur, cujus ad Cyprianum fiduciarium Decretum tranſmittitur [i], quo ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum decernitur, & verè pœnitentibus in exitu ſubveniri. Cyprianus verò, cum diu patientiam tenuiſset, malorum tandem omnium fontem, ac Schiſmaticæ factionis Principem, Feliciſſimum abſtinet [k], ejuſque Symmiſtas eadem cenſura percellendos decernit, ſi ultra cum eo perſeveraſsent.

XI. Cum è ſeceſsu Cartaginem Cyprianus rediiſset, in Lapſorum cauſsam cum Coepiſcopis diiudicandam, ac definiendam omnem primum curam convertit. Perſecutione itaque ſopita, ad celebrandum Concilium copioſus Epiſcoporum numerus cogitur. Synodi placita libello Synodico ſunt inſcripta, qui quoniam non exſtat, ea nobis ſunt ex S. Martyris Ep. 55. al 52. ad Antonianum colligenda. Primo igitur ſtatutum eſt, ne in totum ſpes communicationis, & pacis Lapſis denegaretur. 2. Ne cenſura Evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temere proſilirent; ſed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia. 3. Ut examinarentur cauſsæ, & voluntates, ac neceſſitates ſingulorum. 4. Ut remitteretur aliquid de Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritate, cum ex Lapſorum reditu ingens aliquod in Eccleſiam bonum redundaret. 5. Sacrificatos, quibus periclitantibus pax data eſset, si ex ſupremo illo vitæ diſcrimine evaſiſsent, reliquæ pœnitentiæ onere liberandos. 6. Libellaticos cum Sacrificatis æquari non oportere, quando inter ipſos etiam, qui ſacrificaverint, & conditio frequenter, & cauſsa diverſa ſit: quibus proinde pro qualitate criminis pœnitentia durior, aut levior imponenda. 7. Cum iis etiam remiſſius agendum, qui, periculum erat, ne ob dilatam communionem in Hæresim, vel Schiſma Diabolo invitante raperentur. 8. Placuit, examinatis cauſ-

ſis

a *Ep.* 19. *al.* 14. b *Ep. inter Cypr.* 23. *al* 17. c *Ep. inter Cypr.* 22. *al.* 20. d *Ep.* 26. *al.* 18. e *Ep.* 25. *al.* 20. f *Ep* 27. *al.* 23. g *Ep. inter Cyp.* 36. *al.* 30. h *Ep. inter Cip.* 31. *al.* 26. i *Ep. inter Cyp.* 30. *al.* 31. k *Ep.* 41. *al.* 38.

ſis ſingulorum, Libellaticos interim admitti; ſacrificatis, ſi ante impletam ſatisfactionem lethali morbo corriperentur, in exitu ſubveniri. 9. Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino à ſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari. In eaſdem Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas, ultima tamen excepta, Cornelius Romanus Pont. cum plurimis Coepiſcopis habito conſilio, pari gravitate, & ſalubri moderatione conſenſit.

XII. Ex tota illa diſputatione, qua relatos Canones laudata ſuperius ad Antonianum Epiſt. defendit, ea potiſſimum concluſio elicitur; quam Synodica ſecundi Concilii Carthaginenſis ad Cornelium Epiſtola repetit in hæc verba: *Nec fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus, ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari; ut de ſæculo recedentes, ſine communicatione, & pace ad Dominum dimitterentur; quando permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata eſſent; Solvi autem poſſent illic, quæ hìc prius in Eccleſia ſolverentur*. Quibus verbis manifeſtè ſignificat, divina lege, & inſtitutione debitam eſse vere poenitentibus indulgentiam; quæ etiam D. Ambroſii ſententia fuit lib 1. de Poenitent. cap. 2. & lib 2. ap. 3. *Ergo*, inquit, *evidentiſſime Domini prædicatione mandatum eſt, etiam graviſſimi criminis reis, ſi ex toto corde, & manifeſta confeſſione peccati pœnitentiam gerant, Sacramenti cœleſtis refundendam gratiam.*

XIII. Novatianos non ea tantùm ratione SS. PP. Cyprianus, Pacianus, Ambroſius inſectantur, quod Chriſtum Dominum Eccleſiæ ſuæ remittendorum capitalium criminum poteſtatem, copiamque fecifse, inficiarentur; ſed etiam duritiam in eis damnant inhumanæ crudelitatis, qua vincula necterent, quæ non reſolverent, & indulgentiæ ſolatium miſerorum lachrymis denegarent: poenitentiam indicerent, quam non relaxarent; & veniam negando, incentivum auferrent poenitendi. O, inquit Cyprianus noſter laudata ſæpiùs ad Antonianum Epiſt. *fruſtrandæ fraternitatis irriſio! O miſerorum lamentantium caduca deceptio! O hæreticæ inſtitutionis inefficax, & vana traditio! Hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam: dicere fratribus noſtris, plange, & lachrymas funde, &c. Sed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris . . . Quis non ſtatim pereat? Quis non ipſa deſperatione deficiat? &c.* Hæc ſatis indicant, quam à Cypriani mente, & Eccleſiæ catholicæ moribus aliena eſset feralis illa diſciplina, quæ Lapſos poenitentia functos ſpe communicationis omninò prohiberet.

XIV. Diximus, Concilii primi Carthaginenſis Decreta Cornelium adbrobaſse, ultimo excepto. Eccleſia enim Romana, nec quidem in exitu poenitentibus veniam aliquandò denegavit *Horremus* (inquit Coeleſtinus 1. Epiſt. 2. cap. 2. ſeveram illam in quibuſdam Provinciæ Viennenſis, & Narbonenſis Epiſcopis Diſciplinam damnans) *tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate deſperet, quaſi non poſ-*

fit

Digitized by Google

ſit, ad ſe quovis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem, pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud eſt, quàm morienti mortem addere, ejuſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere? ſalutem ergo homini adimit, quiſquis mortis tempore ſperatam pœnitentiam denegavit &c. Eumne morem tam acri cenſura damnaſſet Cæleſtinus, verbiſque tam vehementibus inſectatus eſſet, quem olim Romana Eccleſia, Eccleſiarum omnium Mater, & Magiſtra, Columna, & Firmamentum veritatis, probaſset, atque uſurpaſset?

XV. Emergentes circa caſus conſcientiæ difficultates non arbitratu ſuo privatus quilibet Theologus olim definiebat. Ad Epiſcopos plurimùm referebantur, qui eas ſæpius communi Provinciæ Concilio reſervabant. Sic S. Cyprianus interrogatus: num eos, qui poſt tormenta diù tolerata lapsi fuerant, & triennio jam pœnitentes, ad communicationem fas eſset admittere; ita sibi videri, reſpondit Ep. 56. al. 53. *Quoniam tamen*, ſubdit, *res tanta exigit majus, & impenſius de multorum collatione conſilium .... tractabo cum ſingulis plenius, ut de eo quod conſuluiſtis, figatur apud nos, & reſcribatur vobis firma ſententia, multorum Sacerdotum conſilio ponderata*. Quam longe abſunt ab avita Eccleſiæ pietate, quibus ad ſedandos conſcientiæ ſcrupulos, ſatis eſt, unum, aut alterum è laxioribus Caſuiſtis in consilium vocare; cum ea tantùm D. Cipriano in iis, quæ ad mores pertinent firma, tutaq. ſententia ſit, quæ non unius, aut alterius moderni Doctoris, ſed *multorum Sacerdotum* fuerit *conſilio ponderata*!

XVI. Anno CCLII. Idibus Maiis habitum eſt Concilium Carthaginenſe ſecundum, quo relaxatio quædam facta eſt Decreti; quod è ſuperiori Concilio emanaverat, ut Lapſi agerent diu pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Huic igitur Decreto aliud in hunc modum ſubſtituerunt. *Eis, qui de Eccleſia Domini non receſſerunt; ſed pœnitentiam agere, & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe*. Quod ſynodus tunc cenſuit, quia crebris, atque aſſiduis oſtenſionibus admonebantur, diem alterius perſecutionis jam appropinquare cœpiſſe: unde Lapſos verè pœnitentes ad prælium, quod tum imminebat, armari, & inſtrui oportere, putarunt, protectione Corporis, & Sanguinis Chriſti. *Nam quomodo* (inqiunt Epiſt. ſynodica ad Cornelium inter Cyprianicas 57. al. 54.) *docemus, aut provocamus eos in confeſſione Nominis Sanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti Sanguinem denegamus?* Et infra. *Mens deficit, quam non recepta Eucbariſtia erigit, & accendit*.

XVII. Quo fuerit S. Cyprianus erga Lapſos animo affectus: quàm ſollicitus fuerit inter Novatiani duram, & Feliciſſimi molliſſimam diſciplinam, mediam tenere viam, declarat ipſe Epiſt. 59. al. 55. ad Cornelium, aureis hiſce verbis, quæ ipſius in cauſa Lapſorum literis meritò coronidem imponant. *Patientia, & facilitas, & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi. Opto univerſos Commilitones noſtros intra Chriſti caſtra, & Dei Patris domicilia concludi:*

remit-

Digitized by Google

remitto omnia, multa diſſimulo ſtudio, & voto colligendæ fraternitatis; etiam quæ in Deum commiſſa ſunt non pleno judicio religionis examino; delictis pluſquam oportet remittendis penè ipſe delinquo: amplector promta, & plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili, & ſimplici confitentes. Siqui autem ſunt, qui putant, ſe ad Eccleſiam non precibus, ſed minis regredi poſſe, aut exiſtimant, aditum ſe ſibi non lamentationibus, & ſatisfactionibus, ſed terroribus facere; pro certo habeant, contra tales clauſam ſtare Eccleſiam Domini, nec caſtra Chriſti invicta, & fortia, & Domino tuente munita, minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens, & Chriſti præcepta cuſtodiens, occidi poteſt, non poſt vinci. Hæc legant, & aſſidue meditentur, qui vel juxta laxorum Caſuiſtarum regulas Sacerdotii ſui vigorem profana facilitate dimittunt, & nervos ſeveritatis everſa fidei majeſtate diſſolvunt, ac propterea SS. Martyri duram exprobrant crudelitatem; vel qui importunæ cenſuræ acerbitate pœnitentibus laqueos deſperationis iniiciunt.

XVIII. Concilii Eliberitani Patres Communionis nomine Euchariſtiam intelligere, cum in graviorum criminum reos hanc pœnam decernunt, ut *nec in fine accipiant Communionem*, multa ſuadent, quibus hanc noſtram addimus conjecturam. Concilium Nicænum, quod non longo intervallo poſt Eliberitanum celebratum eſt, Canone 13. ſanxit: *de his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua, regulariſque ſervabitur, itaut ſiquis egreditur è corpore, ultimo, & neceſſario Viatico minimè privetur.* Viatici nomine abſolutionem intelligunt Nicæni Patres, quam nulli in exitu denegandam, antiquis legibus inhærendo, conſtituunt: De Euchariſtia vero decernunt, ut *cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabilitèr ex oblatione dare debeat.* Oſium, cujus in utraque Synodo primæ fermè fuere partes, veriſimile non eſt, laudatam legem ignoraſſe, de abſolutione nulli in exitu deneganda. De Euchariſtica igitur Communione in utroque Concilio cum Collegis diſpoſuit; & ea quidem in Eliberitana Synodo quoſdam etiam in exitu lege lata prohibuit, in Nicæna verò Epiſcoporum id permiſit arbitrio.

Digitized by Google

Diſputabuntur publicè Florentiæ in Eccleſia S. Marci, objecta diluente eodem qui ſupra ſub R. P. F. Joſepho Auguſtino Orſi Sac. Theol. Lect. Sec.

Anno 1725. *Menſe Maii. Die Hora*

Datur omnibus arguendi locus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google